

suerat, Q. Metellus, rebus ipsis applicuit: bello enim Secundo Punico, pulso tandem ex Italia Hannibale, ac subacta Carthagine, cunctis gaudio exultantibus, solus in Senatu graui ac circumspecta sententia usus est: Ignorare se asserens, an ea victoria iactabilior, an formidabilior esset Reipub. Sicut enim Hannibal alpes ingenti strepitu transgressus, concussa Italia, dormitantem P. R. excitasset, ita verendum, ne illo digresso, silentio & pacis reditu, rursus obdormiscent, & quos labor ac metus exercuerant, securus torpor opprimeret.

SCIPIO NASICA.

NAM quid aliud ante oculos habebat ille vir, optimus à Senatu iudicatus Nasica, tertio bello Punico, dum à sententia Catonis Censorij, qui vir omnium sapientissimus habebatur, acerrimè constanterque dissentiret? & illo censente, inexorabiliter delendam esse Carthaginem, aduersatus est: Non quod urbem infestissimam parcus odisset, sed quod patriam diligeret, cuius mores, præuidere se dicebat, in luxuriam abituros, amoto æmulæ urbis stimulo. Atque utinam eius tunc consilium valuisset, longioris
 æui